



## The Holy See

---

**PAULUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA CAACUPENSIS\*** PRAELATURA CAACUPENSIS,  
IN REIPUBLICAE PARAQUARIANA FINIBUS,

**AD GRADUM DIOECESIS EVEHITUR.** Rerum catholicarum progressus eximius, quem Dei gratia et auxilio Caacupensis praelatura iam fecit, immo etiam maior qui in posterum praevideatur, causa praecipua est cur venerabilis Frater Victor Hugo Righi, Archiepiscopus titulo Biltensis et in Republica Paraquariana Apostolicus Nuntius, de sententia scilicet eiusdem Sedis sacri Praesulis, a Nobis petierit, ut ea praelatura ad dioecesis gradum eveheretur. Censentes autem Nos esse iis precibus accedendum, de suprema Nostra potestate eorumque suppleto consensu, qui hoc super negotio ius aliquod vel habeant vel se praesumant habere, sequentia decernimus. Caacupensem praelaturam *ad dignitatem dioecesis* attollimus, eodem nomine iisdemque servatis finibus, quam suffraganeam metropolitanae SS. mae Assumptionis facimus, cuiusque sedes episcopalis in urbe vulgo Caacupé erit, episcopalis vero magisterii cathedra in templo, adhuc praelaticio, Deo dicato in honorem Beatae Mariae Virginis sine originali labe conceptae, quod ad cathedralis dignitatem evehimus, congruis datis iuribus et privilegiis. Episcopo autem, praeterquam quod iura et privilegia damus, officia et obligationes imponimus, quae sunt Episcoporum residentium propria. Sic conditae dioecesis primus Episcopus erit venerabilis Frater Ismael Blas Rolón Silvero, adhuc eiusdem Ecclesiae Praelatus Ordinarius, prioris episcopalis tituli Furnitani maioris vinculo solutus. Curet Episcopus ut, quoadusque Canonorum collegium condi non possit, quod profecto per alias sub plumbo Litteras fiet, Consultores dioecesanos deligat, ad normam iuris canonici, a munere quidem cessaturos Canonici statutis. Decernimus insuper ut episcopalis mensa, quae dicitur, Curiae emolumentis constituatur, fidelium pecunia, sponte oblata, iisque bonis, quae hucusque ad Caacupensem praelaturam pertinuerunt. Ea quae praescripsimus ut ad exitum adducantur curet venerabilis Frater Victor Hugo Righi, quem diximus, vel ab eo delegatus sacerdos. Qui vero rem perfecerit, congrua documenta exaranda curet ad Sacramque Congregationem Consistorialem mittat, de more signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri

praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis martii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri quarto.*

<p><i>Pro S. R. E. Cancellarius</i></p> <p>HAMLETUS I. Card. CICOGNANI</p> <p><i>a publicis Ecclesiae negotiis</i></p>	<p>CAROLUS Card. CONFALONIERI</p> <p><i>S. Congr. Consist. Pro-Praefectus</i></p>
--	---

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens Ioannes Calleri, Protonot. Apost.*

Eugenius Sevi, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 16, pp. 1029-1030 © Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana